et magistro suo sanctissimo et venerabili benedicto mandatum fuisset; Et apprehendens
eum messalinus et famulos eius deduxit cum honore ad domum suam gaudens. Et
impleta est tota civitas messana de adventu illius. Et residens beatus
placidus in domum messalini: requisivit eum de terris et portibus et de servis et
ancillis quas tertullus pater suus pro dei amore et animae suae salvatione beato benedicto
una secum in perpetuum possidendas per scriptum tradiderat. et quia desiderabat
videre [struck] valde singulis locis in quibus hec omnia essent. Et rogavit
beatus placidus messalinum ut mandaret ad procuratores quos genitor
suus ordinaverat super omnia que ibi habebant ut venirent ad eum.
quia desiderabat videre eos vehementer. et ut notificaret de adventu suo omnibus
amicis patris sui necnon omnibus servis et ancillis quos ibi habebant. Et precepit
messalinus metellio filio suo ut ascensis equis ipse et unus ex servis eius pergeret
et notificaret omnibus; hec que beatus placidus rogaverat et adduceret secum procura-
tores cunctarum et prepositos portorum denuntiaret et secum ad eum eos adveheret;
Alio autem die diluculo cum surrexisset; messalinus. precepit beatus placidus hominibus
suis vocari illum ad se. et ait illi; Sciatis karissime amice messaline quia servum domini
non oportet in domo laicali habitare. quia contrarium est omnibus modis ordini nostro.
Ideoque eamus et provideamus locum aptum in propria possessione. ubi construamus domum
ad habitandum pro nobis. et domum domino deo nostro ad serviendum ei. Et venerunt
ad portum maris et cepit circuire cum messalino et servientibus suis huc
illucque; et invenit locum congruum et aptum in oculis suis et designavit cum podio
quem manu gestabat ubi construeretur ipse et sui. et domum dei in honore beati bap-
tiste iohannis. Et conversus ad messalinum beatus placidus dixit; Ubi est prepositus istius
portus mesane civitatis et quod sibi nomen est. Et respondens messalinus dixit:
Domine prope est; Nomen eius dicitur pompeius tullius. Et ait illi. Manda illum ut veniat
ad me. Et accersivit messalinus unum de amicis suis qui erant in portu.
dicens ad eum. Vade ad pompeium tullium et dic ad eum ut veniat ad filium tertulli
patricii domini sui. illum quem beato benedicto abbati [cui his] quem habebat optulit. et fecit fieri
monachum. en ecce venit. et in portu adest; Audiens autem pompeius tullius
venisse dominum suum currens venit. et videns eum procidit ad pedes eius; Et prece-
pit ei beatus placidus ut de pretio quod de portu accepat vel acciperet domum in
qua ipse cum suis habitare deberet. et domum dei in honore beati baptiste iohannis
in qua ipse cum suis habitare deo assidue die ac nocte deserviret. construi
faceret; Et super instaret ipse operi ut cito illas fieri faceret. maxime
domum suam. quia ipse non habebat ubi habitaret. Ideoque haberet ipse q